

runt, nisi certò scirem fore ut omnes à quibus cognosceris post-hac, multo plura quæ prætereo in te agnoscant et admirentur, denique nisi omnium maiorum tuorum et in primis clarissimi equitis et grauissimi uiri Petri à Guichia, patris tui, ea semper fuisset domestica disciplina, uirtus et existimatio, ut quicquid de te fratribusque summa cum uestra laude et gallici nominis uno omnium ore prædicatur, facilè tueri possit. Quos ille beatissimus senex omnibus publicis honoribus perfunctus genuit, non solùm lineamentis corporis et spectabili proceritate, sed etiam moribus et dotibus animi sui similes : ut quasi diuinitus ornatum septem clarissimis luminibus ab uno heroe et illustratum hunc gallicum orbem miraremur. Tot enim uos reliquit suarum præstantissimarum uirtutum hæredes, alios bellicis rebus iam clarissimos : Gabrielem omnium natu maximum, torquatum equitem, Henrico Regi charissimum, Georgium et Carolum in interiorem illam et nobiliorem Regiæ domus centuriam cooptatos ; alios pacis artibus : Claudium episcopum Mirapicensem multis legationibus cum summa sapientiæ laude iam functum ; Franciscum, ecclesiæ Matisconensis decanum, et à sancto Saturio Cœnobiarcham ; Philibertum nobilissimæ et opulentissimæ Salangianæ domus dominum ; denique te ipsum, quem ego, nisi tu ita uelles essesque omnium natu minimus, nunquam postremum nominarem ; omnes certè omnibus uirtutis et fortunæ ornamentis præditos. Sed quid ego te domumque tuam omni laude superiorem laudare tamen insisto ? præsertim ad te scribens, qui facere laudabilia quàm laudari maus.

Accipe igitur, Sebastiane à Guichia generosissime, librum quartum Theodori Gazæ à nobis aliquot locis restitutum, uersum multò commodius quàm antea et planè illustratum, minus certe dignum te, si ex ipso doctissimo authore Theodoro ipsum metiare, sin ex interprete et explanatore me fortasse non item. Sed qualecunque est, tibi, ut spero, non iniucundum erit, siue quia optimo animo gratissimòque tibi dari intelligis, siue quia non paucis, ad quos perueniet, non inutile futurum tu ipse legens poteris cognoscere.

Bibliothèque nationale de Paris : Inv. X 1917.

